

ferè ad verbera progressum dirimit. Atq; hic finis  
fuit Comitorum illorum magnorum, in quibus  
doctrina Euangelij à Deo per Luiherum reddita,  
in hac postrema mundi senecta coram Cæsare, Re-  
ge, & ordinibus totius Imperij publicè, mirabili  
& inenarrabili successu, asserta est, implete illo  
Psalmi: Loquebar de testimonij tuis in conspectu  
Regum, & non confundebar. Et quoniam non  
sunt illa commenta noua turbulentæ vanitatis, sed  
relata in expositionem ordinatam atq; distinctam  
& præsentibus temporibus ac rebus accommoda-  
tam, Prophetarum Apostolorumq; & qui illorum  
vestigia secuti sunt docendo in Ecclesia Christi,  
oracula, atq; consentientis perpetuo sanæ & inte-  
græ doctrinæ testimonia: manebit profecto huius  
scripti diuinum opus, donec in terris colligetur cæ-  
tus Christianus, quod usq; ad extremum diem  
mundi futurum esse, religiosa pietas nouit. Et  
quid effecerit Augustana hæc confessio nostra, san-  
guine martyrum sanctissimorum passim confir-  
mata, notum Dei beneficio est pientissimis qui-  
busq;. Tanta est verbi Dei efficacia, inquit Lu-  
therus, & virtus, ut quo plus persecutionis habet,  
eo plus floreat ac crescat. Considerate Comitia  
Augustana, quæ fere sunt ultima tuba ante extre-  
num diem: quām astuabat tum totus mundus  
contra nostram doctrinam? quām nobis oran-  
dum erat, ut Christus ipse in cælis iutus esset à  
Pontificijs: Tandem nostra doctrina & fides ita  
prodit